



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

I. An sit iniuriosa Deo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

nem. Dicit, non docet; cur, salvo Vnico Summo, non possint esse inferiores Mediatores. Ego verò esse docui in *Luthero calu. part. 1. q. 75. 76. ex Bellar.* quo aduersarium remitto; hic nil addo. Cætera hinc sua Calviniana, *toto corde execranda*, vt ait, sperno, non Ipsum: ideoque ipsi & suam *ἀγιομαχίαν*, & nostram *ἀγιοδουλίαν* synopticis & methodice perstringam: pleraque ex Bellar. & Becano.

Inuectiuæ, seu Antilogiæ Apologistæ capita potiora videntur ista: Inuocationem Sanctorum cedere in iniuriam 1. Dei: 2. Christi: 3. Esse signū diffidentiae in Deum: 4. Non esse in præcepto diuino: 5. Non vtitam in primitiua Ecclesia fuisse: 6. Eos res nostras, precesue nosse non posse.

INVOCATIO SANCTORUM.

I. An sit iniuriosa DEO?

MINISTER *ἀγιομαχ* ait: Quia, Deut. 6. Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi SOLI seruias.* Ergo.

RESPONDEO. 1. Sicque retorqueo. Ergo aduersarij irrogatis iniuriam Deo, cum Sanctos adhuc viuentes oratis opem. Vt S. Paulus ad Thessal. *Fratres, orate pro nobis.* Iacobus: *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

2. **Respondeo.** Illud SOLI, explicatur Exod. 20. non alieno: *Non habebis Deos ALIENOS coram me; non adorabis eos, neq. coles. Ego sum Dominus DEVS tuus.* Contra hoc non peccant petentes suffragia viuentium in terra: ergo minus, viuentium in cælo. Quia, neutri neutros Adorant vt Deos; sed intercessionem petunt amicorum.

II. An sit iniuriosa CHRISTO?

MINISTER hagiomastyx ait. Quia 1. Tim. 2. *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS:* Ephes. 2. *Per IPSAM habemus accessum ad Patrem:* Et ipsius interpellatio est sufficiens.

RESPONDEO. 1. Sicque retorqueo, vt prius de huius vitæ Sanctis, & alterius. At citra Christi iniuriam licet hic inuocare viuentes mediatores. Ergo. Dic cur non?

2. **Respondeo.** Christus est *Vnicus*, quia Principalis est Mediator: hocque *per proprium Sanguinē*:

quod ALIVS potuit nemo. Ita ibidem 1. Tim. 2. explicat Paulus: *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Pet. 1. *Redempti estis pretioso sanguine.* &c. At Sancti sunt Mediatores secundarij pro nobis intercedendo, vt fructum redemptionis percipiamus.

Quo Mediationem Christi non obscurant magis comprecatores nostri in cælo, quam alij hic in terra sancti; aut quam nos ipsi pro nobis comprecando cum Christo Mediatore. Præsertim cum & nostra, & hic viuentium, & Cælitum comprecatio vim habeat omnem ex meritis Christi: eoque gloriosior Christo est.

III. An sit Diffidentia signum?

MINISTER *ἀγιομαχ* ait. Quia contra inhorrationem Apostolicam, Hebr. 4. *vt cum Fiducia accedamus ad eum*, Hebr. 7. *qui saluare in perpetuum potest accedentes per Semetipsum ad DEVM, semper viuens ad interpellandum pro nobis:* contra hæc, inquam alios ambire mediatores, est diffidere tali primariò.

RESPONDEO. 1. Paulus orabat ipse per Christum; & tamen etiam viuentium petebat suffragia, idque citra diffidentiam in Christum: Ergo & nos pariter.

2. DEVS paratus est exaudire Christum accedentes Solos; cur non ergo accedentes cum Amicis DEI? Ita iussit amicis Iobi Deus, Iob. 42. *Ite ad seruum meum Iob, & offerre holocaustum pro vobis. Iob orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia vestra.* Ita Regi Abimelech ait Deus, Gen. 20. *Abraham orabit pro te, & viues.* Ostendit sic Deus amicorum dignitatem, suam complacentiam; & docuit peccatores sui demissionem, non Diffidentiam vllam; quin Confidentiam erectiorem.

IV. An Non præcepta sit licita?

MINISTER hagiomastyx sic innuere videtur: Quia DEI, & Christi inuocatio legitur esse præcepta: iuxta Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc TANTVM facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

RESPONDEO. 1. Illud accipiendum est tantum de offerendo Sacrificio; non de quocumque opere.

2. Mul-